Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-566557-p0001-6

Tomus XIII
Miscellaneorum Philologicorum.

בשׁ"ש

*EXERCITATIONUM PHILOLOGICARUM*

In

# PSALMUM PRIMUM,

*SECUNDA,*

Ad Ejusdem Comma secundum:

*habebitur publicè*

In Electorali Academiâ Wittebergensi,

*PRÆSIDE*


## ANDREA SENNERTO,

Profess: Publ:


*Respondente*

M. FRIDERICO SCHERERZIO,

Lunæburg.

*ad d. 25. Maÿ, horis antemerid.*

in Auditorio Majori.

cIↃ IↃ c LIII.


*WITTEBERGÆ,*

Typis Johannis Röhneri, Acad. Typogr.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-566557-p0004-3

M. FRIDERICO SCHERNAEO

# PSALMI

SECUNDUM

## Vers. II.

כִּי אִם בְּתוֹרַת יְהוָה חֶפְצוֹ *quin imò in lege JEHOVA voluptas ejus*] Sequitur alterum Propositionis, & quidem ejus partis, quæ καταστευαστικὴ est adhuc, membrum: quo Beatitudo vera, quæ est secundùm DEUM, hominis κατὰ θέσιν sive κατάφασιν jam & describitur, *vers. 2.* & declaratur, exornatur atque amplificatur, *vers. 3.* Cæterùm in illâ, ejusd. descriptione vicissim, quemadmodum autea gradus impietatis sive impiorum potiùs, ita hîc piorum sive pietatis incrementum veræ quoddam observare liceat, idemq; Vates videtur. Opponit enim בַּעֲצַת רְשָׁעִים הֹלְכִים ambulantibus in consilio, familiaritate utentibus impiorum, eos jam primùm, quibus potiùs in Lege DEI voluptas est: חֶפְצוֹ quippe enim, ut infrà videbimus mox multò rectiùs fusiusque, *oblectatio, oblectamentum*, interior nimirum animi motus sive actus vicissim, nō quidem ut superiùs in consilio רשעים, sed in lege יהוה his tribuitur non minùs notanter. Singula ordine lustrabimus iterùm vocabula, genium, vim emphasinq; eorundem, cætera quæ fortasse notanda venient: priusquam tamen Interpretes audivimus vicissim, id meritoq;. Chaldæus quo circa paraphrastes: אֶלָהֵן בְּנִימוֹסָא דַיְיָ רְעוּתֵיהּ *sed in lege Jehova voluntas* vel *voluptas ejus:* (נִימוֹסָא & נִימוּס Græcum, ut alibi sæpè, νόμος civitate Aramæâ donatum, conf. Syrum infrà mox, imò & Arabem: itemq; N. Testam. Syrum, Matth. V, 17. cap. VII, 17. cap. XXII, 35. Joh. VIII, 17, alibi. רְעוּתָא & רְעוּתָא *voluntas* & *voluptas* quoque, à רְעָה *velle* & *delectari*, ex Ebr. רָצָה per metathesin notoriam.) Eo-

dem fere modo Syrus: אלא בנמוסה דמריא צבינהי *ſed in lege, νόμῳ, Domini* (מָרְיָא) *voluntas, voluptas ejus* (צְבָא *voluit, complacuit, &c.*) Tantundem Arabs: לכן פי נאמוס אלרב משיתהי *ſed in lege, νόμῳ,* (falſus hic eſt W. Muſculus, qui: *Arabs pluraliter reddit,* in ſtatutis, &c.) *Domini voluntas, conſilium ejus,* notanter: שיתון & משיתון *conſilium, voluntas, arbitrium.* Fr. Rapheleng. in Lex Ar. p. m. 551, col. 3. Senes LXXII. ἀλλ' ἢ ἐν τῷ νόμῳ Κυρίου τὸ θέλημα αὐτοῦ. Vulgaris: *ſed in lege Domini voluntas ejus.* B. Lutherus: ſondern hat luſt zum Geſetz des HErren. כִּי אִם *ſed, quin imò, potiùs.* כִּי Conjunctio cauſalis aliàs ſæpiſſimè, *quia, quoniam,* 1. Paralip. XIII, 11. אִם conditionalis, *ſi,* Exod. *I*, 16. Non rarò verò τὸ כִּי adverſativè ponitur, cùm abſolutè, Geneſ. XLV, 8. Exod. V, 11. Jud. *I*, 19. 2. Sam. *XVI*, 18. Pſalm. *XXXVII*, 20. tùm conjunctum cum particulâ אִם Gen. XL, 14. Deuter. *XVI*, 6. 1. Reg. *XXII*, 31. Jeſ. *LIX*, 2. & hoc loco atque verſ. 4. Quod tamen, τὸ אִם non rarò etiam abundat: Gen. *XXIV*, 33. cap. *XXVIII*, 15. Joſ. VI, 11. יָרָה à תּוֹרָה (non תור ut quidam, R. D. Kimchi, alii volunt: quod vel radix in Hiphil uſitata הוֹרָה ejusd. ſignificationis, uti mox videbimus, & cognatum מוֹרֶה & מוֹרֶה *doctrina, doctor* ſvadent, evincunt) quod eſt, *projicere* quidvis, lapidem, ſagittam, ſortem &c. Unde & pluviæ & ſermoni accommodatur ſæpiſſimè, atque idem ſignificat quod *rigavit, pluit, docuit, inſtituit:* Oſ. *VI*, 3. cap. *X*, 12. Pſal. *XXVII*, 11. Proverb. V, 13. Jeſ. *II*, 3. deſumtâ metaphorâ, quod ad poſteriorem ſignificationem, à priore: guttis nimir. pluviæ, quod doctrina, uti Schindlerus, heic, loquitur, quaſi inſtilletur animis diſcentium & minutatim indatur eosdemq; imbuat. Hinc

ab

ab הוֹרָה in Hiphil, quod eſt propriè laudatæ modò ſignificationis, תּוֹרָה *doctrina, inſtitutio, conſtitutio, ordinatio, lex* quæcunque in genere: v. gr. ſive hominis, 2. Samuel. VII, 19. ſive ſapientis, Proverb XIII, 14. Nazaræi, Num. VI, 13. leproſi, Levit XIV, 2. conjugii, ſacrificiorum, ſabbathi &c. ſecundùm ſubſtratam materiam, cui ἐνικὴ illa acceptio accommodatur poſtmodum: atque tum poſtea etiam in ſpecie, eò notatur I. Decalogus, Exod. XXIV, 12. conf. Luc X, 25. ſeq. II. Deuteronomus, ſive מִשְׁנֶה ut vocant, lex repetita per Moſen in quinto ejusdem libro, Ibid. cap. XVII, 18. cap. XXXI, 9. III. Pentatevchus, quem vocant, ſive Libri Moſis ſimul ſumti quinq; (quos Rabbini חוּמָשׁ ideo, vel הַמִּשָּׁה חוּמְשֵׁי תּוֹרָה *quinque quintas*, vel *quinquerniones* (partes) *Legis* vocant) καὶ ἐξοχὴν τὸ תּוֹרָה *Legis* nomine veniunt: conf. Matth. XI, 13. Luc. XXIV, 44. Rom. III, 21. IV. Vetus Inſtrumentum integrum, conſtans ſecundùm Ebræorum nonnullos XXII (Joſephus, Philo) alios XXIV, עֶשְׂרִים וְאַרְבַּע (Aben Ezra, R. Dav. Kimchi &c.) Libris: conf. Targ. in Cant. V. בְּעֶסְרִין וְאַרְבְּעָה סִפְרִין דְּאוֹרַיְתָא *in viginti & quatuor libris Legis:* immò alios XXVII (conf. Sixt. Senenſ. Bibl. S. libr. I. ab initio ſtatim) Vid. Joh. VII, 49. cap. X, 34. c. XII, 34. XV, 25. 1. Corinth. XIV, 21. Cætera Theologorum foro magis propria ſignificata V. apud Flac. Cl. Sę part. I. voc. *Lex.* B. Gerhard. Tom. LL. III. §. 3. B. Meiſner. lib. I. de leg. quæſt. I. Gregor. de Valent. Tom. II. diſp. VII. quæſt. I. punct. 1. alios. Enimverò noſtro hocce videtur loco intelligi Canon integer ille quidem, prout extitit idem, vel in quantum, circa tempora Pſaltis: vel certè univerſa doctrina divinitus patefacta, ἄγραφος καὶ ἔγγραφος,

ſive Verbum Dei in genere, quatenus illud nihil aliud ſcilicet eſt, quam Legis ſcriptæ & non ſcriptæ expoſitio quædam: quo ſummo nimir. tanquam theſauro ſuo delectentur unicè pij. Conf. & V. Olympiodor. in Eccleſiaſtæ cap. 12. Aponium in Cant. Cant. cap. 4. cit. Lorino, hîc. L. Hütter. in declarat. Lib. Concord. art. VI. p. m. 498. יְהוָה Nomen DEI unius ſolius proprium, idemque Eſſentiale. De quo quæri poterat: 1. à quo primitivo deſcendat? 2. quid notet? 3. an ejus hæc ſint ſubſtrata puncta genuina, propria & nativa? 4. quando promulgatum ſit? 5. cur dicatur vulgò, olim hodieq; ac paſſim ἀνεκφώνητον, ἄφραστον, ἄρρητον, ἄφθεγκτον, ἄλεκτον, ineffabile, indicibile, ineloquibile &c. & ſi quæ ſunt alia his ſimilia: de quibus rectiùs atque fuſius alibi, atque ex profeſſo, ſic dicendo, ſuo in loco proprio atque peculiari tractatu. Pergimus nunc mage, atque quid חֶפְצוֹ igitur ſive חֵפֶץ abſolutum? Τὸ θέλημα LXX, ut ſuprà vidimus, ita Κοινὴ ſive vulgata, reddunt: *voluntas ejus*: non malè quidem. Multò rectiùs tamen paraphraſtæ, ac propiùs, Chaldæus & Syrus, itidem ſuprà, (quomodo Arabs verò planè & ipſe notanter, v. Ibid.) qui: רְעוּתֵיהּ & צִבְיָנֵהּ *beneplacitum, oblectatio ejus*, atque Megalander: der nicht luſt hat. חֵפֶץ enim, (quemadmodum etiam רְעוּת & רְעוּתָא item צֶבִיוֹן & צִבְיָנָא) Voluntas quidem eſt, ſed promta tamen planè eadem, minimè coacta (quamobrem item notanter hoc loco legi volunt: *in lege*, non *ſub lege*, cit. Lorono hîc, Auguſtinus, Caſſiodorus, Remigius, Haymo, Thomas, Cajetanus, alii: ſed, tranſeant iſtæc: poterant enim vel maximè abſolutè etiam reddi hæc verba, citra omnem particulam: *quin imò*

*lex*

*lex DEI voluptas ejus.*)cum appetitu potiùs conjuncta impensiori: propè res desiderata, quæ oblectamento est, & appetitus ipse, qui præcedit sequiturq; plenam voluntatem, vel Voluptas, verbo, desiderium, intima delectatio & tenerrimus ille animi affectus, quo erga rem deamatam ferimur, & ipsa amoris & misericordiæ viscera non tantùm commoventur interiora, qualis v. g. est inter sponsum & sponsam deamatam conf. Gen. XXXIV, 19. Esther. II, 14. 1. Sam. XIX, 1. (V. omninò & conf. hîc cap. XVIII, 1. ubi חָפֵץ, reciprocus inter Davidem atque Jonathanem amor describitur per amorem נֶפֶשׁ animæ s. cordis: & 2. Sam. I, 26. ubi præfertur amori mulierculaרֵעֲיָתִי etiam sæpissimè in Cant. Canticorum *dilecta* est, *amasia, sponsa* cap. I. 9. & 15. cap. II, 2. 10. & 13. c. IV, 7. V, 2. &c.) Cæterùm nunc radix s. thema illius חֵפֶץ est חָפֵץ laudatę modò significationis, *voluit* & deinceps *complacuit, deamavit, intimè dilexit*, nunc absolutè; imprimis vero atque frequentissimè cum ב part: constructum inseparabili. Unde Avenarius in Lex. Germanicum deducit: **nach einem dinge giffen.** Vicissim, si removetur חפץ per negationem s. inficiationem ab aliquo, nauseam, fastidium atque detestationem summam infert dicitq; ejusd. v. Deuter. XXI, 14. Ezech. XVIII, 23. & ult. Notatur ergò denique hoc loco summatim animi vicissim motus sive actus 1. interior oppositusq; consilio impiorum & deambulantibus in hoc: 2. promtus idem-, spontaneus minimeq; coactus: 3. intensissimus planè, tenerrimusq; ut sic dicam, & summus erga Legem s. Verbum DEI, illud addiscendi, huic placendi, utrique obtemperandi,

וּבְתוֹרָתוֹ יֶהְגֶּה *& in lege ejus meditatur*] Targum וּבְאוֹרַיְתֵיהּ *& in lege, illuminatione ejus*, Lex enim eſt lux' נֵר מִצְוָה וְתוֹרָה אוֹר Proverb. VI, 23. conf. Pagnin. in Lex. rad. אור, ab effectu ſic dicta adeoque eſt eadem Chaldæo, conf. Pſal. XIX. & CXIX. Syrus repetit ſuum: ובנמוסה. Arabs: وفي سننه & *in juribus ejus*, plur. fractum heîc סַנְנוֹן ſingul. סַנְהוֹן *jus, traditio, conſtitutio, mos, uſus*, à rad. סנן *acuere*, & *legere, diſcere, conſtituere legem* & *verſari in eadem.* יֶהְגֶּה Targum: מְרַנַּן *decantans, exultans*: quemadmodum teſte Ambroſio, Aquila etiam, *reſonabit*. Syrus: נתהגא in ethpaël, Arabs: يتلو *meditabitur* à תלו *meditari*, item *legere, recitare* aliquid viv â voce, *explanare, docere*. LXX: μελετήσει. (unde *meditari*, Latinum, λ in δ commutato: juxtà Servium.) Luther: vnd redet von ſeinem Geſetz, Cæterùm nunc quæ originalis הגה ſignificatio ſit diſcrepant: aliis nimirum eandem ad Cor, aliis ad Os, aliis ad utrumque referentibus; aliis denique motum rei in genere denotare exiſtimantibus: ita Mercerus, Marcus Marinus in arcâ Noæ: cum quibus quidem (poſterioribus) ſalvo aliorum judicio, facere hac vice non poſſumus: quandoquidem in hoc ſignificatu in uno & altero ſaltem loco occurrit: Proverb. XXV. v. 4. & 5. Jeſ. XXVII, 8. V. & conf. Schindl. in Lex. qui & ipſe hîc, circa datam ſignificationem *removit, amolitus eſt*, addit tamen hæc verba: *ſicut ſermo aut halitus ex ore volat:* ut reſpectus adeo videatur haberi ſemper ejus ſignificationis, de quâ mox. Iis quocirca aſſentimur, qui ad utrumq; & ad Cor atque Os referunt ſimul notationem ejusd. radicis. In quo τῷ צפה *contemplari, ſpeculari* nudè contradiſtingvi videri poterat

rat. Genebrard. heîc. Quaſi verò & λόγον ἐνδιάθετον, ut loquuntur (הֶגְיוֹן *Logica, Dialectica*, & הֶגְיוֹנִי *Logicus, Dialecticus* Rabbinis: מַהְגִּים *magi, ſapientes, philoſophi* juxta nonnullos quidem. V. Genebrard. Lorinus in h. l.) & τὸ Φοιτικὸν ſimul denotare dicas. Ita Schindlerus, Buxtorfius in Lex. & Concordantiis, B. Troſtius, Præceptor noſter landatisſimus, quondam: ita, dico, ut idem ſit הגה *meditari*, quàm loqui Ore & Corde. Conf. W. Muſcul. in h. l p. 4. Janſen. Lorin. Bellarmin. ibid. alios. Probamus tamen viciſſim palmariam CL. Buxtorfii acceptionem, quâ à mente ad os demum translatum cenſet, non viciſſim, uti Schindlerus vult. Utrumquè verò ejus ſignificatum probant loca: De Corde: Pſalm. XIX, 15. *Meditatio* הֶגְיוֹן *cordis mei coram te*: conf. Pſal. XLIX, 4. LXIII, 7. de Ore, Pſal. XXXV, ult. *Lingva mea* וְהִגָּה *loquetur ſapientiam*: conf. Proverb. VIII, 7. *guttur meum &c.* De utroque videtur accipi locus Jeſ. LIX, 13. *Concipere* וְהֹגִי *& meditari de corde verba falſitatis.* Quod nomina hinc deducta הֶגְיוֹן & הֲגִיג/הֶגֶה *meditatio, ſermo, loquela* & in fontibus & apud Rabb. Talmudicosq; ſatis uſitata quoque demonſtrant, evincunt. Πολυθρύλλητον id notumq; eſt apud hos: המהוגה את השם באותיותיו, *qui pronunciat Nomen (JEHOVAH) per literas ſuas*, Sanhedr. cap. II. ab init. In quâ ſignificatione etiam Poëta ait:

*Sylveſtrem tenui Muſam* meditaris *avenâ.*

Huc ſpectatque radix & ipſa paraphraſtæ Chaldæi רְנַן & רְנַן *cantavit* præ lætitiâ, animi concepta hilari expreſſit voce. Addimus, huc fortè reſpicere quoque, quanquam ex parte, (utrumq; nimirum ſenſum) verba addita

dita ſubſeq. *die & nocte*. Solicitam tandem ideo atque formaliter talem mentis agitationem denotat, quæ vel poſſit, vel perſæpe etiam actu ipſo in oris motum (nonnunquam inſcio item homine interiusq; eodem cogitante) ſive articulatum illum ſive inarticulatum prorumpit: conf. Jeſ. loc. ſuperiùs cit. cap. VIII, 19. *quærite à pythonibus & ſciolis garrientibus* וְהַמְהַגִּים *& muſſitantibus:* in quo ſenſu etiam feris atque avibus, columbis præſertim, adſcribitur: Jeſ. XXXI, 4. cap. XXXVIII, 14. c. LIX, 11. Adhæc, addemus enim & hoc, ſenſu dilatato Rabbinis & Talmudicis (cōf. ſuprà Arabem & ipſum) ſæpe הגה eſt idem atque ſtudere, diſcere, exercere ſeſe (Bellarmin. in h. l. col. 3. lit. C. ita & Menoch. heîc: *exercitium ſive cogitationis, ſive vocis, ſive operis)* quin imò in fontibus etiam, v. & conf. Flac. in Cl. heîc loci, quàm conari, moliri aliquid opere externo, actuque ipſo exercito, ut loqui amant. V. Pſal. II, 1. XXXVIII, 13. &c. Ut adeò videatur poſtremùm in h. l. noſtro verbis: *meditari in lege DEI,* deſcribi gradus alter pietatis ſive piorum, in oppoſitione ſuperiorum verſ. 1. actualiter ſcil. peccantium & ex contractu habitu, viciſſim heîc actus quaſi primus in ſecundum exercitumq; prorumpens, deductus potiùs, interior nimir. exteriorq; ſimul: cordis, oris, operis: qui non amplius delectantur ſaltim in lege, Verbo, voluntate DEI, ſed meditantur illud inſuper corde, intimè, altiusq; ſecum reputant, & ore porrò modulantur, deprædicantq; idem, exterius denique opere & facto in eo ſeſe exercent: ſummatim hoc audiendo, legendo, recolligendo, meditando q. qui ſpirant vivificantq; illud, prætereaq; nihil, quin imò, ut dictum jam,

jam, vitâ moribus factisque non tantùm exprimunt, ut tota vita horum הַגִּיוֹנִים μελετήμασι similibus quasi sit absorpta vel confecta: ad modum qui describitur & declaratur pluribus Deuter. VI, 6. & seqq. (conf. cap. XI, 18. seqq.) *Eruntq; verba hæc quæ ego præcipio tibi hodie in corde tuo: & repetes eadem filiis tuis, & loqueris de eis, quando sedebis in domo tuâ, & quando ambulabis per viam, & quando jacebis in lecto, & quando surges: ligabisq; ea in signum in manu tuâ, eruntq; & movebuntur inter oculos tuos, scribesq; eadem in limine & in ostiis domus tuæ.* Cui parallelus est locus & ille, qui de- & præscribitur, quod ad singula eademq; fere verba, Regi, Deuter. XVII, 18. & seqq. item principi Josuæ, Jos. cap. I, 7. Quem in finem denique, ut & hoc addamus saltim adhuc, præceptum item habetur divinitus populo Israëlitico quondam datum de טוֹטָפוֹת ut vocantur, *frontalibus* sive *armillis*, & צִיצִית vel צִיצִיוֹת, *fimbriis* sive *peniculamentis* vestium μνημονευλικοῖς utrinq;, locis suprà citatis Deuter. VI, 8. ex XI, 18. imprimis verò Num. XV, 38. *Facient sibi* (filii Israël) צִיצִית &c. *Erit autem illud, ut videatis & recordemini omnium præceptorum Domini & faciatis eadem &c.* Quod apud postros, hodie vel maximè, in miram superstitionem conversum tamen est, quam vel magno libro satis explicare nequeunt ipsi: ut verba sunt CL. Buxtorfij in Lexic. Chald. Talmud. & Rabbin. rad. צִיץ In N. Testameuto *Φυλακτήρια*, q. *conservatora* & *περάπτεδα* vocantur, Matth. XXIII, 5. Illaque תְּפִלִּין *Tephillin* vulgò ac possim nomine apud Chaldæum, in N. Testamento Syro, Talmudicos & Rabbinos veniunt: τοῖς LXX *ἀσάλευτα* q. *immobilia, inconcussa*. V. de his CL. Buxtorf. in Lex. Ebr. rad. טטף & צִיץ: imprimis

verò in Lexic. Chald. Talmud. & Rabbinico, radicibus iisdem, & insuper פט atque פרל, Schindl. in Lexic. ibid. N. Fuller. in miscell. lib. V, cap. 7. Drus. de tribus sectis Jud. lib. II. adde Lorinũ hîc, h.e. in Psal. prim. qui & citat N Lyranum in Matth. cap. XXIII. & Chrysostom. ibid. præsertim v. R. Mos. ben Majemon. in pecul. tract. de Tephillin, R. Selomon. ad Exod. XIII, 16. R. David in præfat. lib. radic. &c. Sunt autem brevissimis: טוטפות *Totaphoth*, sive תפלין *Tephillin* Schedæ memoriales særeæ geminæ hodie Judæorum, sive lora totidem coriacea, in quorum medietate, suâ quadam tanquam cellulâ, continentur & includuntur membranulæ quatuor (altero frontis maximè) ex subtilissimo utplurimũ pergameno, quod vocant, distinctæ ipsæ, totidemq; convolutæ vicissim in suis cellulis, quibus quatuor hæc loca singulatim S. Sacræ minusculis literis inscripta sunt nimir: Exod. XIII, comma 2 & 5. Deuter. VI, 4. & cap. XI, 13. 14 & 15. quæ porrò precaturi sibi alligant, unum circa caput, alterum sinistro brachio, ut admoneantur hoc modo ad observationem Legis precesque: quorum alterum ideo vocant תְּפִלִּין שֶׁל רֹאשׁ alterum תְּפִלִּין שֶׁל יָד in specie. צִיצִין vero sive צִיצִיוֹת aut צִיצִית in singul. fimbria aliàs est, ex multis, iisdemque contortis in sese, filiis longioribus oræ vestis assuta, Quästen/ trodlen/ frenzel/ German. vulgò: Rabbinis hodie verò vestis bipertita, ut sunt circiter femoralia, quæ traducto capite tamen humeris injicitur, ut una pars à pectore, altera tergo dependeat: cujus nomen ציצית vi numerorum (per speciem Cabbalæ quam Gematrijam sive Arithmologiam vocant) 600, & vesti ipsi juncta octo fila sive ligamenta

&

& quinque nodi omnium in universum adeò præceptorum Legis, h. e. DCXIII hominem admoneant. Quorum, τῶν Tephillin & Zizin descriptionem uberiorem vide sis, si placet, apud superiùs citat. Scriptores. Tandem ex Hieronymo in Matth. cap. XXIII. addit & citat J. Lorinus heîc, (in Ps. prim.) ejus quid etiam illius, Hieronymi, tempore Babyloniis, Indis atque Persis in usu fuisse. Sed enim transeant istæc. Sequitur potiùs nunc:

יוֹמָם וְלַיְלָה *die ac nocte*.] Tertium gradationis membrum heîc constituimus: ut ut fortassis ejusdem cum superiori vers. 1. evidentiæ ac primâ fronte quidem tale non sit: ideo quod plenam Orationem constantem suo subjecto expresso prædicatoq; Verba hæc non absolvant. V. & conf. nihilosecius B. Gesner. heîc pag. 4. col. 2. nobis consentientem. Peruschim jam sive Targumim potiùs singula ante omnia eodem fere modo reddunt: Chald: יְמָם וְלֵילְיָ Syr: אימא וללית (אִימָמָא heemanticum *dies*, ex יַמָּא ut אִידָא *manus*, אִיקָרָא *honor, gloria*, אִיסְרָלָאי *Israëlita*, ex יַד / יְקַר & יִסְרָאֵיל) Arabs: ליל ונהארת *noctu diuq;* (transpositis saltim vocabulis: נְהַר ex usu Syro-Chaldæo, *luxit, illuxit, splenduit*, & נְהוֹרָא/נְהָרָה/נְהַר *lux, aurora, dies* conf. Job. III, 4. Dan. II, 22. נהאר verò Arabicè *dies*, & אסתוא אלנהאר *meridies*, &c.) LXX: ἡμέρας καὶ νυκτός. Ita & Vulgata, item Lutherus. &c. Aquila v. teste Ambrosio diem tantummodo expressit: id verò quomodo excusare satagat Lorinus v. apud eundem. Nunc porrò, יום alias, primitivum quidem, variè significat, quas referre operosè hîc significationes propriè hujus loci fortasse non est: paucis tamen; *Diem* significat 1. inartificialem, quem vo-

cant, ſive naturalem: ſpatium ſcil. XXIV horarum, includens noctem præcedentem illius diei: Geneſ. I. verſ. 5. Eſth. IV, 16. Ἡμερονύκτιον ſive Νυχθήμερον potiùs Græcis quod aliàs vulgò vocatur. [Nota: Ebræi enim incipiebant computare diem à veſpertino tempore, aut ab occaſu Solis usque ad ſequentem occaſum: idque procul dubio omni ex inſtitutione Dominicâ & more à patribus ſuis recepto; eò quod tenebræ priores fuerunt luce, uti conſtat ex Sacris, hexaëmero præſertim Moſaico, Breſchith cap. I. & II. conf. Apoſtolum 2. Corinth. IV, 6. qui: *DEUS juſſit è tenebris ſplendeſcere lucem*. Hinc eleganter quoque Daniel prophetiæ ſuæ Cap. VIII, comm. 14. diem ſimilem circumloquitur nominatq;: עֶרֶב בֹּקֶר *veſpere-manè:* q. dicas, vel ὀψιπρώιον, cui affine eſt ſuperius etiam Græc: νυχθήμερον: Contrà alii aliique populorum vel à matutino tempore inchoabant diem: ceu quondam Babylonij, Chaldæi & Græci, atque hodie Norici: vel à ſummâ, h. e. mediâ nocte, quemadmodum olim Ægyptiorum quidam & Romani, hodie verò in plerisq; Germaniæ regionibus Chriſtiani: vel denique meridie, ſicuti quondam Umbri, Ægyptiorum viciſſim aliqui & Arabes, hodieq; Aſtronomi & ipſi. Unde nati triti hi, quadruplicis varietatis diſtinguendæ hujus memoriæq; cauſsâ, verſiculi:

*Græci mane diem capiebant Solis ab ortu:*
*Veſpere Judæi: ſcrutantes ſidera cœli*
*Dum Sol in medio fulget nitidiſſimus orbe:*
*Chriſticolæ incipiunt mediæ ſub tempore noctis.*]

II. Artificialem notat diem, h. e: quo (vel quamdiu) Sol jam eſt ſupra horizontem, contradiſtinctum nocti: Geneſ. I.

neſ.I. v.5. & 16. cap. VIII, ult. III. Synecdochicè diem magnum, ſive circulum dierũ, i. e. annum: Exod.XIII,10. Jud.XVII,10. I. Sam.I,3. conf. omninò vers. 7. IV. Tempus in genere, indefinitũ, longum & breve, nec horâ aut momento excluſis, Geneſ. II,17. cap.VIII, ult. Levit. XXV,29. Jeſ.I,1. cap.IV,1. V. Noctem in ſpecie, contradiſtinctam diei notare volunt, Numer. VIII,17. (AbenEſra in Exod. cap.XIII,21. Menaſſe ben Iſraël in Concil. Geneſ.) quanquam cur ad primum ſignificatum hic locus referri haud poſit, non admodum videmus. VI. Hodie, in ſpecie, notat Geneſ. XXI,26. Exod. XIII,4. Pſalm. II,7. VII. Tempus denique certum, ſtatum, triſte, lætum: Pſalm. XXXVII,13. Jeſ.XIII,22. Amos V,20. יוֹמָם verò noſtrum ecquid? an nomen, an adverbium, ut plerique reddunt? Porrò Mem in fine geminatum quid notat: an continuationem fortaſſis, an verò in ſpecie & notanter innuitur eo dies artificialis? Tertiò an ſemper, quod aſſeritur à nonnemine, conjunctum cum לַיְלָה vel לַיִל reperitur, niſi in uno ſaltim loco Ezech.XXX,16? Enimvero Qq: haſce infra ſuo loco placet diſcutere. Hic loci phraſis integra יומם ולילה maximè notandâ venit, quod ſcilicet perſeverantiam quandam denotet, quo de mox: poſtquam qnid לילה prius etiam diximus. לַיְלָה ergô ſemel ſub hac quidem formâ occurrit, Jeſ. XVI,3. *Pone* כַּלַּיְלָה *quaſi noctem umbram tuam*. Quod, licet in Lexico, item in Opere Biblico Baſil. ejusdem nunquam ſatis laudato, etiam in Lexico Chald. Talm. & Rabb. ſub hac forma reperiatur, CL. Buxtorfius in Concordantiis non tamen agnoſcere videtur: quandoquidem ſub conſtructa לַיְלָה (כְּ notato item inſuper per ſcheva, h.m. כְּלַיְלָה)

כְּלִיל) recenſuit, quam & ipſam aliàs quinquies ſaltem reperire eſt in fontibus: ut mirum ſit cur? imprimis cum in Bibliis ejusdem laudatis inveniatur; aliis item exemplaribus, operis regii v.g. Veneto, Genevenſi, Wittebergenſi, &c. לֵילָה vero & לֵילָה propter accentum vel in pausà multoties occurrit. De quo notetur: *I.* quod & ipſum ſit generis maſculini, cum לֵיל: quod probant vel loca Exod. XII, 42. Gen. XIX, 33. 2. Paralip. I, 7. &c. *II.* ה igitur non eſt nota ſequioris gen. ſed paragogicum. *III.* & accentus eſt in penultima, h. e. ſuo loco manet in hoc caſu in nominibus, ad diſtinctionem; ſecus atque aliàs: quod etiam fit cum ה locali. Conf. Præcepta noſtræ ed. p. 66. & 82. item Cl. Buxtor. Theſ. Gr. lib. I. cap. 8. p. m. 74. Ideoque cum grano ſalis accipienda ſunt, & rectè intelligenda verba Henr. Molleri, Profeſſ quondam & in hac noſtrâ in h.l. quando: ה *in fine dictioni adjicitur per paragogen, ideoque accentum habet in primâ. IV.* Inſuper adeò & accentus in penultimâ probat utcunque dignioris generis eſſe vocem hanc: fœminina enim in ה aliàs Milra ſunt, h. e. acutitona, ut notum in vulgus. *V.* Notat verò לֵיל & לֵילָה nominaliter temporis ſpatium contradiſtinctum diei artificiale, nempe *noctem*: atque cognationem habet cum לוּן vel לִין *pernoctare*. Jam conjuncta יוֹם ולילה, quod Apollinarius, antiquior (pater) Laodicenſ. Eccleſ. presbyter, lib. Carm. *II.* v. 3, imitatione Homeri & Heſiodi reddit:

— — νύκτας τε καὶ ἤματα πάντα,

perſeverantiam notat: quem in modum Horatius etiam de arte poët. verſ. 267.

— — *Vos exemplaria Græca*,
*Nocturna verſate manu, verſate diurna*.

ſi non finalem ſemper & ubique, certè huic proximam ac majorem, ſtabiliorem, diuturnam, ſine intermiſſione: ſemper, continuè, indefinenter q. dicas: (apageſis heîc gloſſam cit. Lorino Jacobi de Valentiâ, qui V. & N. Teſtamentum hac phraſi intelligit: *Nox Vetus eſt*, inquiens *Teſtamentum, dies Novum)* quod vel ex inductione exemplorum ſufficientiſſimâ poteſt probari. V. & conf. loca hæc ἐμφαλικώτερα ſeqq. Exod. XIII. v. 21. & ult. Levit. VIII, 35. Joſ. I, 8. 1. Sam. XXV, 16. 1. Reg. VIII, 59. 2. Paralip. VI, 20. Nehem. I, 6. Pſalm. XXII, 3. Pſal. XXXII, 4. Pſalm. XLII, 4. LV, 11. CXXI, 6. Jeſ. XXI, 8. NB. Jeſ. XXXIV, 10. cap. LX, 11. & 19. NB. Jerem. XXXIII, 20. & 25. Thren. II, 18. &c. Innuitur igitur phraſi hac conſummatiſſimus viciſſim gradus pietatis ſive piorum in oppoſitione, ſuperiùs, tertij: irriſorum, in impietate ſuâ finaliter perſeverantium. Qui interdiu ac noctu Verbo DEI vocant, id unicè q. ſomniant vigilantq; (non ſecus atque illis accidere ſolet, qui vel ſeriis vel allubeſcentibus cogitationibus, etiam inviti, detinentur, nec abſtinere poſſunt) hoc meditantur, loquuntur, verſant, toti ſunt in illo, nec unquam de eodem remittere poſſunt. Multum enim quidem eſt, delectari in lege, verbo DEI; plus verò meditari id, atque totis viribus conari illi ſeſe parem gerere, corde, ore, vitâ factisq; hoc exprimendo: maximum tamen per omnem vitam, conſtanter & perſeveranter, indefinenter id, divinâ comitante gratiâ, præſtare; juxta Apoſto-

Apoſtolum 1. Theſſ. V, 16. ἀδιαλείπτως: conf. & Coloſſ. III, 17. in ſtatu læto & triſti, quocunque, tam in ſecundis quàm adverſis, uti quidam (Euſebius, Auguſtinus, Remigius, Bernhardus, Thomas, Titelmann. cit. Lorino) hanc, *die ac nocte*, phraſin etiam exponunt. Tandem ſunt κλίμακες igitur ſive gradus, vel claſſes piorum illorum impietati verſ. 1. hoc ſecundo commate oppoſitæ tres: (nondum enim in illorum fugâ nudè vera abſolvitur Beatitudo, alioquin & brutis animantibus fors eſſet cõmunis, ſed alterũ etiam requiritur hoc de quo modo) 1. Conſilio impiorum (oppoſita) delectatio in lege Domini: חֶפְצֹו בְּתוֹרַת יְהוָה 2. Viæ peccatorum malitioſeq; peccantium, indefeſſum ſtudium & profundior meditatio ejusdem: יֶהְגֶּה בְּתוֹרָתוֹ 3. Sedi & cathedræ לֵצִים peſtilentium, perſeverantia יומם ולילה diurna & nocturna in cultu divino.

תֹּלַח אבֵן׃

01 A 6640

ULB Halle
003 108 309
3

Sb.

VD17

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-566557-p0021-7

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-566557-p0022-2

בע

PHILOLOGICARUM

# M U M

M U M,

NDA,

ma secundum:

publicè

miâ Wittebergensi,

SIDE

ENNERTO,

:Publ:

dente

SCHERERZIO,

eburg.

horis antemerid.

rio Majori.

c LIII.

BERGÆ,

hneri, Acad. Typogr.

b

21